



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De ipso Pulchro. Cap. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

sunt conditiones earum, quæ propriè nuncupantur nomine Ideæ, & ad mentem pertinet; non autem earum, quæ solùm in eminentia Ideæ dicuntur; qualis est Idea boni, cui respondet in rebus nō species vna, sed vniuersum genus bonorum. Quod ex eo patet, quia Ideæ omnes dicuntur esse distinctis gradibus boniformes. Accedit, quòd quamuis in bonis per imitationem, siue participationem consideretur ordo, & diuersitas aliqua; ea tamen diuersitas non propriè conuenit bono, vt est bonū; sed vt iunctum variis conditionibus, & naturis rerum: veluti quamuis vna luminis sit natura, attamen per varios gradus, & cum aliqua distinctione recipitur in perspicuo. Insuper de ipso bono vnica est propriè sumpta scientia; immò non scientia, sed intelligentia potius; quamuis imitationum eius, vel participationum variæ possint esse opiniones potius quàm scientiæ; sed Arist. per sua principia non rectè valuit secernere intelligentiam à scientia, & scientiam ab opinione: quare leuiter Platonem carpit, cùm potius ipse reprehensione sit dignus.

*De ipso PVLCHRO.*

CAP. VI.

**D**ictum est in præcedentibus, quòd Deus omniū Princeps, vt est ipsum vnum, ita est ipsum bonū, & ipsum pulchrum; quæ tria ita se habent cū Deo, vt sint de ratione Dei, immò sint ipse

Deus. Pulchrum, quo ad nostrum intelligendi modum, sub bono dicitur collocari: quoniam nil aliud est, nisi splendor boni, & veluti actus quidam, ex bono refulgens; qui actus, & in Deo, & in mente, & in aliis rerum gradibus reperitur, at modo valde diuerso: Est primò in Deo, vt idem re cum eo, vt causa aliorum: est in mente per formas à Deo pendentes, quantenus in æterna Idearũ serie splendet actus purus boni, per quem Ideæ omnes & boniformes, & pulchriformes nuncupantur: est demum in aliis per participationem. Deus non est pulcher, sed ipsum pulchrum: mens & pulchriformis, & verè pulchra dicitur ob formas, quarum varietate est decorata; vt etiam anima per suas internas rationes, obscuriori tamen conditione & gradu, pulchriformis dici potest: corporea demum solùm per participationem obscure, & adumbrate pulchra sunt. Quàm latè itaque extenditur bonum; tam latè micat, & effunditur pulchritudo. At rediēs ad ipsum bonum, dico: Deus, vt omnia necit, & fœlicissimè ligat, est ipsum vnum; vt procreat, fouet, & regit, & implet, est ipsum bonum; vt illustrat, gratiam infundit, excitat, & mulcet, est ipsum pulchrum. Quærent nonnulli viri docti, & summopere dubitant, nunquid boni & pulchri vna sit Idea, vel potiùs duę distinctæ Ideæ eis conueniant: qua de re cum multa dicant, nos ex declaratis in præcedentibus lucidissimã explicationē colligere possimus.

mus.

mus. Primò enim statuendum est, vt boni, ita pulchri propriè sumptas Ideas in mente non dari; sed esse veluti communes quasdam facultates, & formas per omnes Ideas effusas; quæ sint, tanquam nerui, & splendores omnium Idearum: Addendum secundò, quòd cum, accipiendo Ideam latè, & in eminentia, detur Idea boni, & pulchri; istæ duæ Idæe re vera distinctæ non sunt, nec vna vnquam ab altera seiungitur; sed vna est fulgor alterius; & solum, quatenus vna ex altera micat, & varia ratione pulchrum & bonum nuncupatur, quo ad nostrum intelligendi modum possunt poni duæ distinctæ. Sunt itaque, & nõ sunt Idea vna. Hinc euenit, quòd Plato in Hippia dubitauit, an pulchrum, & bonum idem sint; & potius indicauit, quòd sint idem, quàm quòd distinguantur; cum præsertim ad præcipuum respiciendo, idem esse dicantur. Eminentè profectò ratione factum est, vt bonum, & pulchrũ insolubili nexu iuncta sint; & quàm latè extenditur vnum, tam latè pateat aliud: cum enim pulchrum id sit, quod nos excitat, allicit, & inuitat; quoniam in nostrum finem inuitari, & conuenientibus stimulis excitari debemus: iurè cum pulchro debuit esse iunctum bonũ; vt per pulchrum duceremur in bonũ, & per eius gradus in supremum bonum eleuaremur; Pulchrum itaque in bonum eleuat, & bonum nos necit cum vno: Hinc euenit, quòd finis postremus Amoris vnio est, vt etiã

C

ex conuiuio Platonis colligitur; & quò eminentior est amor, eò in eminentiorem vniõnem nos eleuat. Ex eadem quoque vnius boni, & pulchri catena pendet; vt qui pulchro delectantur, pulchrum amant, pulchrum quærunt, delectentur Deo, Deumque amant, & quærant: sed euenit frequenter in hoc mundi antro, vbi solæ volitant vmbre rerum; quòd nos à verisimili, à falsa pulchri, & boni imagine delusi, pro vero falsum, pro pulchro turpe, & pro bono malum amplectimur; propterea miseri toto vitæ tempore discruciamur. Quare dum nos verè pulchrum inquirimus, nil penitus corporeæ pulchritudinis amplius inspicere debemus, quæ solùm est imago, vestigium, & vmbra, in altissimo materiæ pelago apparens: sed altiùs eleuati, ad exemplar vmbrearum, ac ad primum omnium principium conuerti tenemur; ne, dum vmbra sectamur, vel mergamur in aquam, vel, vt contigit Narcisso, in fugacem florem rationis expertem commutemur. Neque etiam existimandum est, simpliciter pulchrum proportionem aliquam rei corporeæ esse, sed initium potiùs omnium cõuenientium proportionũ: & ne dum simpliciter pulchrũ nõ est proportio, iminò neq; etiam pulchritudo corporum; sed illud potiùs, quòd in proportione refulget. Nam corporũ pulchritudo, nil aliud est, nisi actus ille, & splendor boni à corpore participati: quod ex principatu formæ, & conuenienti

nienti dispositione materiæ, non secus micat extrinsecus, ac refulget flamma luminis ex perspicua laterna: Est itaq; Deus ipsum vnũ, ipsum bonum, ipsum pulchrum: & hæ sunt cõditiones communes effusæ per omnia; quæ ab eo, tanquam à cõmuni principio, pendent: Ac insuper sunt signa primi parentis, per quæ iudicare possumus, qui sint eius legitimi filij, & qui sint spurij, ac degenerent ab eo: nam quò opera eius fuerint meliora, & pulchriora; eò magis generosa, suoq; parenti similia, & consequenter grata censi debent: quò verò fuerint deteriora, & deformiora; eò magis degenerare ab eo, eiq; minùs esse grata putandum est. Præter hæc tria, alia quoque tribuuntur Deo: quæ illi optima ratione conueniunt: nam quia, nullum eminentiæ eius æquatur nomẽ, propterea multa ei tribuimus: vt multitudine nominum, multitudinem munerum, & eminentiam dignitatis eius latiùs manifestemus: ea tamen tria præcipua sunt, ad quæ cetera modo aliquò rediguntur. Nam Iustum redigitur ad bonũ: Verum proprie conuenit menti, in qua ens recipit principium: quòd si sumatur in eminentia, ad bonum hoc quoque redigitur.

*De nonnullis quæ Deo tribuuntur. CAP. VII.*



**I**nter cætera, quæ à viris sapiētibus Deo tribuuntur, etiam numeratur ratio, & consilium: quæ ei conueniunt, primò per modũ eminentiæ,